

MARTINVS LVTHER MVSICAE STUDIO SIS.



SALVTEM IN CHRISTO. Vellem certe ex animo laudatum, & omnibus commendatum esse donum illud diuinum & excellentissimum Musiscam, Sed ita obruor multitudine & magnitudine virtutis & bonitatis eius, vt neq; initium neq; finem, neq; modum orationis inuenire queam, & cogar in summa copia laudum, ieiunus & inops esse laudator. Quis enim omnia complectatur? Atq; si velis omnia complecti, nihil complexus videare, Primum, si rem ipsam spectes, inuenies Musicam esse ab initio mundi inditam seu concreatam creaturis vniuersis, singulis & omnibus, Nihil enim est sine sono, seu numero sonoro, ita, vt & aer ipse per se inuisibilis & inpalpabilis, omnibusq; sensibus inperceptibilis, minimeq; omnium musicus, sed plane mutus & nihil reputatus, tamen motus sit sonorus & audibilis, tunc etiam palpabilis, mirabilia in hoc significante spiritu mysteria, de quibus hic non est locus dicendi, Sed mirabilior est Musica in animantibus, praesertim volucris, vt Musicissimus ille Rex, & diuinus psalter David, cum ingenti stupore & exultante spiritu, praedicat mirabilem illam volucrum peritiam & certitudinem canendi, dicens Psalmo centesimo tertio, Super ea volucres caeli habitant, de medio ramorum dant voces.

Verum ad humanam vocem, omnia sunt prope immusica, tanta est optimi Creatoris in hac vna re supereffusa & incompraehensibilis munificentia & sapientia, Sudarunt Philosophi, vt intelligerent hoc mirabile artificium vocis humanae, quo modo tam leui motu linguae, leuioriq; adhuc motu gutturis, pulsus aer, funderet illam infinitam varietatem & articulationem vocis & verborum, pro arbitrio animae gubernantis, tam potenter & vehementer, vt per tanta interuallalocorum,

AA 2 rum,